PANEGYRICUS
In Laudem
Magni Polonorum ac Svecorum
REGIS
VLADISLAI IV.
Pii, Felicis, Inclyti,
Victoris ac Triumphatoris,
semper Augusti.

Scriptus
ab
HEINRICO á Boemelln.

Sub initio
Anni
M. DC. XXXV.

PAtere, Fortiſsime Regum, inter lætantis Sarmatiæ, congratulantis Orbis voluptatem, humillimam mentem in Tua Regis Fortunâ ſuas relegere delicias. Cui quamvis capiendæ non ſit, negligere tamen officioſo ſtupore impos. Vota mundi, maximè Tuorum, meumq;, in Feliciſſima Coronæ Tuæ auſpicia emiſſa, ita ceciderunt, ut ambiguum ſit, Tuæ Felicitati ab ipſis quid adjectum fuerit, an illa Fortunæ Tuæ ſucceſſum debeant. Comitari te armis, quibus non dabant momenta Rerum, Voti voluimus obſequio firmare Tuos greſſus, Patriæ Salutis anxios. Nunc Tibi Triumphanti fractum armis Septentrionem, perculſum Tuâ Famâ atq; Adventu Orientem, utrumq; ex voto victum, mens exoſa ſilentium redundantis lætitiæ affectum fundit, occurritque gratulabunda. Neſcia mediusfidius principium dicendi occupare in amplitudine Tuarum Laudum. Quicquid enim in oculis Gentium geſſiſti, Triumphus fuit. Regnare Tuum, Triumphare, imò vivere, vincere. Non enim Tuorum gloria Facinorum ſub Diademate nata eſt. Et ineptiarum apud alios Anni, maturum Te aptumq; immortalibus Factis habuerunt. Florem ætatis animiq; Divus Parens providâ mente Tuæque olim ſortis præſagâ ab Aula in Campum duxit, vel quod ſine te vincere nollet, vel ut tecum facilius vinceret, vel etiam, ut Exemplo Suo vincere Te doceret. Ibi

Tua ſimul Virtus Felicitasque, & Fatorum occulta intentio emicuit. Cœlum ſubiiſti ipſi Naturæ grave tenero corpore, ut Patris veſtigia gloriamq; tempeſtivè legeres. Aſpera loca ſubegiſti indefeſſis paſſibus & armis, quò Tyrocinium poneres Tuæ Virtutis. Cui Gens barbarie potens, nec mitior ſuo Cœlo concedere cöacta, & ad ingentia diſpendia colla ſua ſubdere. Redibas Famâ auctior gratiorq; Patriæ, quam diverſa hactenus vota, ſpes metusque angebant. Ab incunabulis enim mox Tuis ceu rivulo Jagellonii ſangvinis exundantem Felicitatem ſibi promiſerat. Commodatos Spiritus, memores beneficii in Patriæ decus propenſuros. Corpore jàm animi magnitudinem capiente, dum ſpem exequebaris, creabas metum. Ut quod usq; ſperaverat fidenter, timidè admitteret. Nimirum vero metu, ne Tecum periret, â cujus ſalute derivare ſuam cæpiſſet. Jam iſta gaudia Regiâ mente repete, quibus Te Reducem ſalvumq; à Patriæ Tuoq; periculo Cives receperunt. Non puto dies omnes obliteraturos, unius diei tripudia, quæ Victori Tibi obvia, omnem Poloniam commoverunt, Tua magis exultantem Salute, quàm Victoriâ. A te enim aberrare non poſſe Victoriam indubium erat, dum Tu modò â vero Tui Patriæque Amore non aberrares in falſam periculoſæ Fortitudinis ſpeciem. Novi Honoris accrementum augebat immenſum affectum. Princeps enim merueras Ducis nomen, ut inſanos Moſcos duceres, ad humanitatis fideique officia, quæ usq; fugiſſent. Suo jam Barbari exemplo, Civium animos flectebant ad Tui Reverentiam, ne Te olim ſequi, tæderet. Hactenus & Tu Patrem ſequutus ad inuſitatum Tibi experimentum

tum Armorum,ut præire aliquando scires. Neq; hic satis mitia Tuæ Juventuti Fata, tulêre moram. Hostem dirum purioris Orbis, Patriæ destinarunt, Adolescentis Tuæ Virtutis novum Pensum. Ut Divo Patri profectum probares, Civibus affectum, Tu quoq; properanter in vim processisti. Dolus, immanitas, Furor teterrimi Hostis, cita arma & quæ Patris præverterent, poscebant. Cœlo egregiè provido, ut vicem officii Patri redderes, & ira Orientis in Tua Filii felicitate prius periret, quàm conspectu magni Patris percelleretur. Verus tùm, quia Solus, Victor cluebas, Patre non ægrè Famam Tibi attriti Hostis confectiq; Belli cedente. Quò vel sic Filiale obsequium pensaret, accenderetq; ad majora spontè currentem Indolem. Noverat Divinus Senex compendio ire gloriam per Filium in Patrem; seq; gloriosum & felicissimum ducebat, Te Filio pro ipso pugnare gnaro & vincere. Patria vero ingenti discrimine & quod Orbem urgebat in præcipitia, levata, Beneficium Tuum profitebatur, quod nec debere sufficiebat. Etenim Sol verè Oriens ei splendebas ab Oriente, ubi non vanè metuerat sibi noctem ac perpetuas tenebras parari. Quas inferri Tua Virtus atq; ardor pro Patre & Patriâ cernendi prohibuit. Referebas Tuo regressu obscuræ Lucem, exanimi calorem, vice pie inversâ, ut Tua Nutrix per te servaretur. Incapax tantæ Felicitatis, qua grassatorem Orbis retuderas; Neq; se meritam sic amari rata, ut tuis periculis salva esset. Obvium te ferendo Osmanno Cœde bachanti in Cives, magis eam amasti, quam voluit. Teneram Tuam ætatem, oblitam sui in adultam Barbarorum ferociam, omnem Fortunam, Spes omnes frustra profundere, Tua alacritate, & vi Hostium consternata innuebat. Etenim in istam immitium Populorum molem, ultra Maria & ipsos solis excitam terminos, neminem videbat posse ire, nisi qui simul paratus esset & perire. A quâ sperare Victoriam ti-

mebat,& solum Non Vinci, in Votis habebat ac Victoriæ gloriâ. Majora igitur ipsius spe Votisq; præstitisti, retulisti, paria Tuæ Indoli, cui Nemo Heroüm par unquam. Ut Te non immeritò in primâ ætate magis mirati simus, quàm illorum aliquis per universam laudatus. Jam Pater, Patria, Hostes, Tuæ documenta mentis hauserant. Nihilq; restabat, quàm ut Fatorum ludibrium Tuæ Virtuti feliciter cederet. Alibi quippe vereri solitorum, ne si summam Fortunam ac Mentem dent homini, DEUM faciant ex Mortali. Multis casibus Juventutem tuam erudire voluerunt, ut eorum Invidiâ superatâ transires in ordinem Deorum. Specie igitur Inclementiæ positâ, invictæ Tuæ Virtuti brabeum, maximo cum Patris & Patriæ placito detulêre. Dabat Tibi Pater Regnandi locum, qui olim pugnandi; ut gloriosè regnares, qui antè fortiter pugnaveras. Lœtâ Patriâ Tuum pensandi felicitate amorem; nec minus promptâ, Patris fatalem nutum exsequi. Quem ideò mortalia censebat reliquisse, ut ad Immortalia Facinora ampliorem Tibi viam panderet. In amplexus sic Tuos, Patre orba & Rectore, fidenter concessit. Haud fallaci spe, quicquid ureret, eâ manu iri sopitum, quæ nunquam cessasset de se mereri benè. Tua illa dextra erat VLADISLAE, Bellax, & in levamen prona patriæ. Hostibus ad Terrorem usq; nota, ut pendente statu Res ejus infelici scelere turbare mallent, quàm Te Rege, tempore melioris Causæ Fata experiri. Metuebant enim quod Patria à Te sperabat. Ut qui Solo hactenus Affectu pro eâ excubasses, stimulo collati Honoris, de novo Titulo graviora agendi præcepta caperes. Ipsi igitur suum odium præcociter exserere, pactorum relligione Sanctos fines vastare, quasi deserti Regni & VLADISLAO vacui. Remanserat enim Mosco plagarũ sensus, nec tàm in proclivi fuerat curare vibices Polonæ disciplinæ, quàm iras concitare. Doloris adeoq; acerbitas,

bitas,animũ ſponte mobilem,levemq; retrò tulit ad malitiam atq; Invidiã cujus magis expediret meminiſſe, quàm Poloni Beneficii. Infelix Natio, & indies miſerior,poſtquam Tuam VLADISLAE, Clementiam ferre non potuit, quàm antè ſubmiſsè ambivit. Tuis enim & Divi Patris armis ſeverè caſtigata,in extrema abiiſſet deliquia, nì Veſtram Humanitatẽ majorẽ eſſe,voluiſſetis ejus perfidiâ. Unde impetrabilis apud Vos erat vindictæ petens moram. Quam ideò duris ſubditis Mitis Dominus concedebas,quod lenitate malles ſtuporem corrigere,quàm aſperitate frangere.Sed gratiam quietis malèquieta perfidia invidiosè in maximos ſuos motus convertit. Res quippe domi anguſta nec ſceleri novo ſufficiens,exterorum tentare juſſit voluntates.Jucundior habebatur Servitus quæſita,quàm impoſita. Invitati populi ambibãt littus, Novasq; vias,quibus ad tàm liberalem hoſpitem iretur, aperiebant. Terra, gloriæ meſſem,Marti præbere Tuo ſolitã, Mercurio pandebatur extraneo.Serere,metere, fodere, venari in Moſcovia, hactenus ignotæ Gentis erat occupatio. Ipſi incolæ nihilminus,quàm terram colebant, nihil colligebant magis, quàm odium in Te humanũ Dominum & nova perfidiæ pabula. Dabatur enim ſpecioſo jugo aliqua merces, ne gratis Avaritiæ mancipium eſſent, qui ingenuum Virtuti Tuæ obſequiũ præſtare tergiverſabantur.Utq; ea rectè ſcilicet erogaretur à ſtupidis poſſeſſoribus ; & hìc ſuas partes interponebat Advenarum Conſilium. Polonos,Gentem felicem militandi adjicientemq; generoſitáti antiquæ nova armorũ compendia, indies graviorem ſuis hoſtibus, non poſſe aliter,quàm arte ſimili eludi.Extranea arma,milites extranei inculcabantur, ut ad extraneos, ipſos Conſultores, rediret hoſpitis ſtulti atq; ignavi lucrum. Sperabat pecus Arcadicũ, Leoninam pellem ſibi ingenti fore ſubſidio, quippe quæ ſi non in exitium populi invicti,terrorem tamen valeret,Inde

multorũ Annorũ adolevêre apparatus, quasi Mars ipse exulatum in Moscoviam abiisset. Nihilominus arti suæ diffisus Moscus, q̃ non benè didicerat, adq; suos cõversus mores, minus in rem suam duxit, protrahere impetum in id tempus, q̴ Polonos armaret. Circũ venire igitur voluit, specie præveniendi, quibus metũ infestorũ Armorũ ipsa Fides demebat. Excessus SIGISMUNDI Patris Tui maturo sceleri subdidit stimulos, q̴ vigilans ejus Majestas feliciter usq; morata fuerat. Quasi impuniùs in viduã Remp. peccaretur; ubi procerum animi, creandi Novi Regis studiis in partes distraherentur, incuriamq; externi periculi. Sed cæcũ animi Barbarũ, Patriæ & Fatorum concordia p Te VLADISLAE mox confudit. Tu Unus ille eras, qui superorũ & mortaliũ omnium suffragiis Patriæ servandæ, domandis hostibus censebaris. Ut Polonarũ summa Rerũ nullius æmuli invidiâ morante vel ambitione, Tibi deferretur. Invidente q̃vis Orbe Sarmatiæ monumentũ Libertatis, Liberas voces, & Te Regem, qui Polonorum Regum gloriã sic excipiebas, ut teneres, augeres. Documento in omnes ætates, Reges Polonos regere Remp. non perdere. Insignia enim & â Libero cõcessa populo Majestas, Regibus familiare fascinum, optimos quosq; solitum mancipare, Tuam Virtutem ampliter instruebant. Solâ olim solitudine laborantẽ, cum nolebas Augusti Patris p̃cipere merita. E cujus Te manu Leges & Arma accepisse extemplò monstrabas, ut illis patriã regeres, his defenderes. Talitèr enim affectã invidia dubiũ an Benignitas Fatorũ Tibi offerebat. Cui sanandæ ut quantũ industriæ molestæ impenderes, tantũ Tuo nomini adjiceres gloriæ. Regni Interregno moti fluctus cõpescere primum Tibi erat, & internis Patriæ mederi vitiis, ne magis Resp. labasceret suo morbo, q̃ insidiis Hostiũ. Inter hęc veterum Regum Patrisq; immortalis imitamenta, remotorũ Civium querelæ ac pericula Te evocabant. Ad aleam Martis,

quam

quam jàm tùm usurpare perfidus ac rebellis Septentrio occupaverat. Quanquam Tibi Miti Principi & Bellignaro Calamitatũ, minus volupe erat Regnandi initia tumultibus deformare. Mille Belli casus atq; incommoda, quæ citiùs corruptissimis his moribus sentiuntur, quàm dicũtur, librabas altâ mente. Quocunq; Fortunã, non sine vasticie, & malorũ cumulo inclinare. Conscientia tamen Nominis, subditorumq; angustiæ vicerunt. Et illorũ Civium regenda Fides erat, qui improvisos, hostis, ruptoris Fœderũ, insultus solâ eludebant Constantiâ. Cui suppetias ferre Exemplum, Res nostra tempestate in utramq; partem validissima cogebat. Alioquin neminem Fide bellũ, suo malo, protracturum, qui alios spe subsidiorum vanâ, perire miserius, vidisset. Ne igitur Pacis Amor in otii transiret infamiã, Tuus Liberator ille Patriæ animus Parendum Necessitati duxit. Potissimum, spondentibus maxumis Oraculis successum Pristinæ Tuæ Virtuti. Perfidiâ Hostis quamvis, suâ opinione, Felix, ob spem minùs paratum Smolenscum subigendi primo impetu. Infelicissimus tamen stultâ perfidiâ neq; attentâ satis, Polonâ Curâ Moscã ibi indolem probè esse emuscatam. Procedebat ad Muros Urbis, veri obsequio Domini validioris quàm præsidio. Nequicquã ferox in lapides, vanis in animos Civiũ tentamentis. Adjiciebat minas prolixumq; obsidiũ, pignus gravioris excidii. Tibi Soli VLADISLAE Perfidia Mosci felicitati fuit. Ut olìm in improbi populi tergis gloriosa Juventutis præludia absolveres, Victorq; abires à doloso mancipiorũ regimine in multã spem Patriæ. Regia verò Tua Arma sub Bono omine certissimæ in perfidos Victoriæ moveres, referresq; victricia. Non enim meliorem sibi sortem promittere Moscus poterat, quam communem omnium Rebellium, pereundi. Nec Tu sequiorem rerum sentire fluxum, quam Officii Tui Jurisq; merebatur Sanctitas. Rex ibas Supremæ Legis monelâ

Regno periclitanti opitulus; Dominus, novo furore æstuantes rebelles sedaturus, quos vindictæ intercapedo frustrà melioris mentis monuisset. Grandire voluisti gradus per spatiosa Terrarum intervalla, quò properè faceres, quod prospere posse Te, videbas. Venisti, vidisti Hostem, qui post scelus, extremam Ducatus Tui molem contra Te exciverat. Numero Tuam Virtutem turbatum iri ratus, quasi ille diutiùs perire posset, quàm Tu vincere. Vincere autem Hostem differebas gloriose, ut Tuis parceres. Unum cupidior servare Civem & Polonum, quàm mille perduelles, Moscosq; perdere. Non ut supplicium morâ tolleres, sed per sangvinis melioris parsimoniam, compendiosâ gravitate exasperares. Smolenscum Urbem veterem, ultra Centum Annos à Moscis suâ Arte ereptam Polonis, Ductu Divi SIGISM. III. Patris Tui, & Tuâ Polonorumq; receptam Virtute, inveniebas opere, armis, Hostium Corporibus circumseptam. Miserebat Regium pectus vicem Civitatis perpetuis nequã vicini insultibus & Fraudi natæ. Præsens verò Fides & Constantia adeò Te inflammabat, ut solam Tuo sudore, militumq; jacturâ dignã censeres. Castra mox ponebas in oculis fatigatæ Civitatis, Indicium tuæ Mentis, quod aliàs excludebat Borysthenes, & circumfusus hostis. Illa variè sollicitatos animos tunc reficere, nutantem alicubi fidem firmare, Constantiæ alacritatem novam adjicere. Ne verò mutam spem, timidi otii specie, dubiam redderes, prudentis tuæ Virtutis fuit Cautio. Munimentis hostem & vallis, quibus se induerat, exturbare erat faciliùs, quam de die fluvium transire. Tam in suas partes Naturam ipsam compegerat meticulosa perfidia! sed illa Tui, præsentis Domini reverentiâ, noctu tentata, Copiis Tuis officiosum vadum præbuit, ut cæcis tristibusq; præliis, indigni luce perduelles afflicti, damna sua & dedecus ad Solẽ recenserent. Vix partẽ Orbis,

Ur-

Urbem cingentis, demeras, ubi reliquus pavore concuſſus, inq; ſe revolutus, Militi Tuo locum dedit, Suo Moleſtus Duci. Ceperat is ampliorem Caſtris locum, mente mali præſagâ, ne repellere ipſe ſuos cogeretur, quos Tu ejeciſſes. Tibi autem, Rex, non ſufficiebat amicam Urbem periculorum ſolviſſe metu, nî hoſtem in eundem rejeciſſes. Docendum cingendi vices, quò agnoſceret, tàm in proclivi Tuæ Virtuti eſſe, obſidionem ipſam obſidere, quàm ejus perfidiæ fuerat ſecuram Urbem. Jucundò ſpectaculo, ut me Fides Orbis juvet, inſano tumentem furore Moſcum in anguſtias agebas, quaſi venandi Arte latibulo ejus occluſo. Infauſta hæc Moſco quies, & nulla unquam turbulentior. Jam calamitates ab agro Polono recedere in Moſcoviam, ibi flamma, ibi ferrum graſſari, inde commeatus iis ſuccurrere, qui defenſores ejus fame & rerũ inopiâ enecabant. Satis hoc calebat Balneum, in quo Dux Sceleris craſſos errores exſudabat, ferociam Barbari pectoris ad ſupplex Tui, veri Domini, obſequiũ componens. Tyrannus interim, domi tactus damnorum ſenſu, ut alienis viribus, gravitatem impendentis mali diſcuteret, luem Turcicam commovit. Incendi ſe facilè Lunæ Orientales patiebantur, calamitate non melioris ſocii, occaſionisq; commoditate, reliquo orbi funeſtam inducendi noctem, ex ſuperſtitioſo vaticinio. Scythæ Solenne ſuum in vicinam Ruſſiam ſervantes, ultricia Tuorũ Arma tergis exceperant. Hi vindictæ progreſſu latiùs delati, prædã depopulatorib. provinciarum excuſſerant per ipſos Valachiæ fines. Movendæ Tetri Orientis bili ſatis hoc erat, cũ dona juraq; Contributionum, perpetuę ſervitutis pignora, Moſcus offerens, in vacuũ quaſi Regnũ barbariem invitaret. Stultâ ſpe atq; opinione, felicem Tuam dextram â Victoriarum curſu revocatum iri in novos tumultus. Quaſi aliorũ more & ſorte, pręſens tantùm vincere didiciſſes. Prodibat Abazi-Baſſa, homo ad cædes factus

cum

cum Gentium colluvie. Effæminati Turcæ, Tatari rapaces, Leves Valachi, in Sacri Regni fines, odia & tela conferebant. Abſentia Tua, vires in Moſcum exportatæ, Terra acceſſu facilis, deſperatã animabant audaciam. Sentiebas eminùs mente Barbarorum vel amentã veriùs, Poloniam jam abſorptam. Ne Sacrilegæ manus laſciviam explerent, quò corpus non licebat, tranſtuliſti felicitatem atq; Auſpicia. Congrediebantur diviſi Orbis Vota Fataq;. Luna Turcica Cornua ſua numeroſisq; cohortibus ancillantes ſtellas, Scythas, completura Orbem ſuum educebat. Dixiſſes debellaturam Europæum Cœlum, ſi ad ſolem non accederet. Polonia is erat & Tua VLADISLAE Fortuna, cui nunquam adverſa fuit, quin defecerit. Nunc quoq; rubere docta ſuo ſanguine & conatûs ſtolidi pudore. Sufficere rata Septentrioni, moviſſe Arma in ejus Dominum, ut ſucceſſus turbaret. In Magnis ſat erat, voluiſſe. Verumenimverò Rebellis Infortunio magnũ Turca adjiciebat cumulum, ſuâ promptitudine. Munera, tributa capiendi, ut vires ejus hauriret, in novum Fati ſui experimentum impendendas, ne ſuas prodigeret. Infelici autem operâ, coactam in Smolenſcum Moſcouiæ medullam, Tibi Regum Feliciſſimo parabilem reddidit, Moſcum ubiq; infeliciorem. Dux Schein domitus jã Tuis armis, circumſpectata diù ſubſidia deſperans, in Clementiâ Tuâ vitæ ſpem locabat, potentię impar. Victo ſibi apud Te ſalutem ſupereſſe certus, gnarusq; ſcire Te & vincere & victoriã moderatè exercere. Sic Tua Victoris genua advolutus, ſignis Militaribus, bellicis inſtrumẽtis, toto perfidiæ apparatu relicto, à Te humaniſſimo Domino, vivendi eundiq; gratiam impetrabat. Ut inviſus nuncius cladem damnaq; Tyranno triſti; Rebellibus Domini Fortunam referret. In hoſtis cedentis veſtigia Victrices Tuas Aquilas inferebas, Tui immemor, memor Civium & gloriæ. Neque enim ingentes moleſtiæ, nec tempeſtuoſum cœlum in-

de-

deficientis Naturæ angulo ardorem illum Tuum obtundebant. Longinqua metu, armis adversa concutiebas, nihilq; Tuæ Virtuti erat invium, & velle, vincere. In quo felicissimo Victoriarum tenore, infelix fato suo perfidia, Tuam appellabat mansvetudinem, ne Fortitudine funditùs periret. Nec Tu prudens Felicitatis moderator ab humanitate in extremum rigorem sic abieras, ut non Exemplo Tuo probares, omnes illic adesse Virtutes, ubi una sit. Sciebas adversum Hostem fortiter prosternere, sed simul supplicem habere clementèr, fortunam reverentèr. Ut vel sic Famam recenti Imperio conciliares, & virtutibus Regiis amorem. Itaq; facilis eras in novam veniam, Rebellibus suo se judicio, & pœnâ ipsos plectentibus. Nec sollicitis amplius, amissa recuperare, modò Tu ea cum illorum quiete possideres. Ovans opima spolia & gloriosum debellatæ perfidiæ fructum ferebas in Patriam. Mœstam hactenus Tuâ magis absentiâ, quàm suo periculo. Tùm verò suâ exultantem sorte, quàm fausto regressu Triumphans formabas. Mirabatur Orbis Tuam Felicitatem, qui nondum unum Tui Regni Anuum superaras, & jàm duos hostes. Cæsaris verò tot seculorum encomiis elatam, vilipendio deprimebat, postquam Majoris documentum principium Imperii Tui dedisset. Vicit ille, ubi venit, ubi vidit. Communem hanc cum ipso habes: Tu verò vicisti hostem, quem non vidisti, depulisti cervice Regni, ad quem non venisti. Tuam ille vincentis vim sensit, qui alibi vincebas. Tyrannorum maximum per latus Bassæ fodisti, vulnerasti, repulisti, & quid sperandum esset de Tuâ præsentia, absens ostendisti. Non poteras ex Naturæ ingenio duos hostes immensis distin-

ctos

ctos spatiis simul videre, sed ex Felicitatis Tuæ, simul vincere. Supra Naturam Tua Fortuna erat. Sed nec dum supra Invidiam. Fremebundus enim Rerum à Te gestarum Famam, Ignominiamq; elusi sui impetûs admittebat Turca. Novo Marti discrimen tradere intentus, Virtutis & Fortunæ. Nam & ille Captator Gentium, capere non poterat, quod ægrè senserat. Te alibi occupatum suffecisse suis insidiis, quibus maxima pars Orbis cessisset. Ne obscura esset indignatio livorq; Legatum Tuum molestis ambagibus circumductũ ita excepit, ut trucibus oculis, sævis gestibus, verbis tumidis, animum in Te non meliorem exprimeret. Taliter ferocientis insaniæ tempestivà parabas remedia. Exercitum victoriis inclytum à Septentrione jubebas ire furori Lunatico obviam. Ipse Generosorum Civium promptitudinem Tuis auspiciis comitabaris & felicitate. Facilè enim prævidebas, Turcam pares iræ vires educturum, Non tamen nescius eras, maximũ ejus robur, laborare alibi, nec simile domi suppetere. Et quãvis revocaretur, hoc tamen interesse inter Tuum & ejus Militem, quod hic Persicis calens plagis, infelix, vecors, non in spem Victoriæ, sed tardioris exitii metum iturus esset. Tuus verò opulentiâ prædæ, facinorum gloriâ, jure pro Sancto Orbe pugnandi animosus, in consvetudinem vincendi. Coactis jam copiis potentem minacemq; hostem confundebas cernendi alacritate. Conceperat enim ipse suo More timidam de Te quoq; ignaviã, quam in multis deprehenderat. Quasi in densissimas ejus cohortes, numerosas ex universâ barbarie turmas, dextram hactenus victricem inferre non auderes. Neq; Tu Ser^me^ Rex contemnebas Hostem, qui felicissimis latrociniis occupasset amplissimum Imperium, & quem excludere solum, vincere esset. Paratus pugnare, morâ tamen prælii & quiescendi copiâ eum ludebas, pluris Tuorum Sanguinem æstimans, quàm qui libidine pugnandi nimiâ prodigeretur.

geretur. Non in hostilis mixtionem, sed defensionem patriæ satum; natumq; ut viveret pro Aris & Focis vinceretq;, non temerè periret. Quæ Tua cunctatio tàm prosperè cadebat, ut animis, audaces usq; caderent, discerentq; timerè, quem oderant. Accessio mali erat quod momenta firmandæ pacis Tuis veniebant committenda placitis. Quam ita definiebas, ut de finibus hostium litigiosas partes Tuis adjiceres, asseresq; Regno sine sanguine quod multo hactenus infeliciter quæsitum erat. Servatam enim jàm tùm videbas Patriam, cũ hostem pavore diffluentem. Hostem, qui timidus videri nunquam voluit. Nunc certè maluit, quàm ad Tuam Fortunam, omnẽ suã confringere. Ne verò sola timendi insolentia, insolenti bárbaro apud Te temeritatis obtineret gratiam, damnũ imperasti Felix Arbiter. Æternum Tuæ gloriæ monumentum, & quod posteros in perpetem nominis Tui Amorem ac venerationem trahet. Ite nunc pectora Lunatica & VLADISLAI Felicitati invidete, ut eam infelices augeatis! Ite & Fati vestri finitam indulgentiam agnoscite! Jactus minùs iterati prosperè, si non monent satis, instruant stuporem signa, quæ latrociniis præfertis. Meridiantis Ertuculis Patris Osmanis somnium, Lunam esse voluit, quam á Cœlo mutuaremini, in aliquem Rerum splendorem. Tenebras quamvis Luna noctemq; non tollat, illustrat tamen. Potentiæ vestræ vitia sceleraq; fatale quietis nomen tegit, non purgat. Scilicet ne invitis Diis, in Terris Dii esse videamini. Habetis Imperium, sed cum labe; à Numine, sed irato iis, quorum sedes occupastis, non vobis propitio. Vicissitudinum minis ipsa vos ornamenta Imperii castigant. Luna etiamsi plena, Terrâ tamen minor est. Vestra ad perpetua Cornua damnata, nunquam hiatum supplebit, nunquã æquabit Orbem. Demitte tandem supercilia Gens DEO hominibusq; invisa; Cristasq; spontè pone, quas subindè emergentes, Polonia resecat.

Hic

Hic occidit Cornu Tuum, quoties oritur. Menstruæ paupertatis memor limitem reverere, quem Tibi Fata posuerunt. Tu verò Regum post natos Reges fortissime, Macte Tuâ Fortunâ, Tuâ Famâ! Et utramq; in æternitatem crescentem firma, supplâta, Tuo illo Animo Recto, Bono, Magno. Secula loquentur ætatis Tuæ miracula. Uniusq; Anni Virtutem sequentes omnes habebunt uberrimam gloriæ segetem. Patria autem Tot Tibi Triumphos debet, quot sensit hostes. Quicquid multarum Gentium cruore rubicundus Oriens, quicquid sceleribus concretus Septentrio, odii, virulentiæ, calamitatum in omnē Poloniam certatim ingerebant, id Tuâ Dextrâ, Tuâ Majestate, Tuis utrinq; auspiciis retorsisti, contrivisti, sustulisti. In ære Tuo est ac æternæ gratitudinis vinculo Smolenscum, quod ex Faucibus Crudelissimi Tyranni eripuisti; Lithvania, quam imminentis periculi gravi metu levasti; Podolia, quam ab hostibus sævissimis liberasti; Totum Regnum, quod secundissimis successibus propugnasti. **Ereptor, Levator, Liberator, Propugnator** clues, & verè PATER PATRIÆ. Quam olim Q. Fabius Maximus Dictator Cunctando obtinuit Coronam, Tu Festinando meruisti. Graminea ea erat, ipso pretio supra Laurem. Hanc Tibi PATRIÆ SERVATORI conspirantes Civium affectus decernunt, parantq; immortali gramine. Nunquam otiaturi in gloriosi Tui Nominis, Genii, Fortunæ admiratione ac laudibus. Venerabitur Beata Suo Rege Polonia æternis studiis Tuas Victorias. Sed & æternâ vecordiâ Tuorum Felicitatem Armorum infelix Barbaries horrebit.